



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Scala Jacob**

**Lindeborn, Jan**

**Antverpiæ, 1666**

Pars 5. de agendis post Meditationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)



precem exaudiat, quam ego, qui fundo, non audio: deprecor illum ut intendat, ego verò nec mihi nec illi intendo. Tyrones, si operi non intendant, vel pueri, si librum non inspiciant sed nugas exercent & aliena tractent, Magistrum offendunt: ideoque Psaltes: *Erunt, ut complacent eloquia oris mei, & meditatio cordis mei, in conspectu tuo semper.* Ut autem intellectus attentus sit, assuesce piis considerationibus, dicere tum poteris ad libitum: *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi:* ejus namque requies Oratio est, quâ vires reparantur & languores excutiuntur. Secundò insinua te in Dei tui affectum, cole sanctam cum eo familiaritatem, amicè & verecundè alloquere; aliàs, *Tu seminabis & non metes, tu calcabis olivam & non ungeris oleo, & mustum & non bibes vinum.* Expone ei necessitates tuas, subsidium & auxilium exposce supplex: cum Axâ filia Caleb petant suspiria tua *irriguum inferius & superius: coge eum cum Jacob: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Negare videtur? mendicos imitare ante ostia divitum cum patientiâ stipem expectantes, aliquando te audiat, si non potes continuò clamare, nec abibis indonata; ut enim chorda, quò magis ab arcu recedit, eò majore impetu ad ipsum accedit majoremque exhibet vim sagittæ, quæ per arcum jacitur, ita quò magis Deus videtur se ab anima amovere, eò ardentiori benevolentia in eandem sese postea denuò insinuat.

P A R S V.

*De Agendis post Meditationem.*

Quæ ad tria documenta reduco, eorumque

PRI-



PRIMUM est: ut eam revideas & breviter perlustres, quò observes quid sub ea benè ut aliàs continues, quid verò actum sit perperam ut impostorum emendes: constat pueros, qui scholas frequentant ut artem scriptoriam addiscant, scripta sua Magistro offerre revidenda, eumque, si quæ literæ malè sint ductæ, alias apponere quas imitando vitium emendent seseque ea in arte perficiant: in Meditatione quasi in Schola es, ubi scribis non manu sed corde, non atramento & calamo, sed affectibus, ubi exaras Deo: quæ autem scripseris, intellectui tuo tanquam animæ Magistro exhibe, ut quæ corrigenda sunt demonstret: perficiet te in hac arte ea revisio. Est Meditatio animæ nuntia quam emisisti ad Deum, ut tuas ei miseras revelet, ejus auxilium imploret, ejusque gratiam conciliet: *Intret in conspectu tuo oratio mea*, dicebat Psaltes, *inclina aurem tuam ad preces meam: quia repleta est malis anima mea.* Et alibi *vice: Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine, juxta eloquium tuum da mihi intellectum: intret postulatio mea in conspectu tuo, secundum eloquium tuum eripe me.* Est inquam Meditatio animæ tuæ Nuntia ad Deum ablegata, examina eam an suo probè sit functa officio tuamque ritè causam egerit: si quem defectum deprehenderit, eum cavendum præcipe, nullum hîc locum habeat conniventia. Est illa animæ tuæ Oeconoma, quæ omnia procurare debet & præparare: esuris & sitis justitiam? hæc saturat te. Langues & deficis? hæc te reficit. Infelices illæ animæ, quæ hac Oeconoma destituuntur, talibus pœnè omnia deficiunt: *Aruit cor meum*, ait Psaltes, à quo brevi solummodò tempore abfuerat,

Pf. 87: 3.  
G 4.

Pf. 118:  
169. G  
170.

Pf. 101:  
5.

quia



quia oblitus sum comedere panem meum. Eam autem quotidie ad rationes revoca, quos sumptus fecerit, quid benè quidve perperam compararit aut præpararit investiga: providæ & accuratæ ad animæ œconomiam vigiliæ summè sunt proficiuæ, parit hîc emolumenta magna attentio & cura sollicita. *Manè Cant. 7: surgamus ad vineas; videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica,* invitat Sponsa. Meditationem Vineam dico, in quâ crescunt vina piorum affectuum bonorumque propositorum, quibus inebriata anima exhilaratur in Deo sui que obliviscitur. Allicit Sponsa ad ingrediendum in hanc Vineam, & respicendum an flores & quos fructus proferat: qui cum desiderio flores vel maturos fructus ex horto præstolatur, sæpius plantas vel arbores invisit, curat quæ conducunt, removet quæ impediunt, fit & eadem Animæ piæ cura quæ flores & fructus sperat ex horto seu vinea Meditationis: *Manè surgamus ad vineas: mox statim ac ea finita est.*

SECUNDUM est, ut aliqua seligas quorum tibi memoria toto die inhæreat, nam cum homo sine cogitationibus esse non possit, ideo matutino tempore præscribitur Meditatio, non solum quia id aptius, sed vel maximè ut statim cum die ex eâ pia objecta colligat circa quæ versetur toto die. Selige ergo aliqua, quæ tibi præ reliquis sapuere, ruminare eadem manibus operi intenta vacas, videtur id exigere Dominus cum præscripsit: *Ignis in Altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna per singulos dies manè.* Idque Domino addicit Psalmographus: *Cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquæ*

cogi-



*cogitationis diem festum agent tibi.* Quid namque est agere diem festum Domino, nisi ab omnibus operibus aliis feriari & solo divino cultui vacare? cogitatio itaque hominis confitetur Domino, dum in Meditatione ei exponit infirmitates suas, necessitates & indigentias spirituales, sua desideria & proposita: hujus verò reliquix agunt eidem diem festum, dum per diem circa eadem objecta occupantur: *Itaque sicut laborantibus manibus, urget Mellifluus Burgundio, nec oculus propterea clauditur, nec auris abstine ab auditu: sic omnino & multo melius laborante corpore mens quoque ipsa suo intenta sit operi, ut vacet.* Utinam filix meæ in praxin deduceretur hoc dogma, quot phantasiæ & otiosæ cogitationes exularent. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.* Quam alacris ad actus mortificationis & virtutum exercitia animus assurgeret! volupe esset sine focis agere: *Non satis recordabitur dierum vite sue, eò quòd Dominus occupet deliciis cor ejus,* at, *gustate & videte quoniam suavis est Dominus.* Imitare itaque itinerantes, qui, cum itineri sese accingunt, licet bonum jentaculum sumpserint, confecerunt tamen cibos quibus de die vescantur: omnes nos in via perfectionis itinerantes sumus, non satis est in matutina Meditatione refecisse spiritum (jejunæ autem accingunt se itineri quotquot illam negligunt, ideoque tam debiles toto die) sed necesse est memoriæ tuæ corbem adimpleas, quò pro tota die tibi provisum sit. Querulæ subinde estis de distractionibus, sed huic praxi assuescite, certus sum quòd ea non multum vos turbabunt aut affligent: assueverant ii, quos D. Gregorius fornicationem judica-

Serm. 4.  
ad Milites  
Templi.

Pf. 118.  
85.

Eccles. 5:  
19.

Pf. 33: 9.



re solitos testatur vel ad momentum à Christi contemplatione discedere.

**TERTIUM** denique & præcipuum est, ut, quæ facienda concepisti, datâ occasione per diem operi mancipes: eadem, quæ Psaltis, sit & tua sententia:

*Os meum loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei* Ps. 48:4

*prudentiam.* Loquatur sapientiam, dum tibi notitiam tui & Dei tradit, dum te de vitiis erudit & virtutibus: loquatur & prudentiam, suggerendo quid hîc & nunc vel faciendum vel omittendum. Deum æ-

mulare, qui ejectis è Paradiso protoparentibus ad ejus & ligni vitæ custodiam ante eum collocavit Cherubin & flammeum gladium atque versatilem: *Gen. 3.*

eodem modo & tu ejectis ex animæ tuæ Paradiso peccatis & vitiis ad custodiam ejus colloca Cherubin & gladium, id est, prudentiam & Zelum, illam ut advigilet, hunc ut irrumpentes mox abigat. Reditum vitia tua, antiqui animæ tuæ inquilini molliuntur? generosè te oppone: ibi summa resistentia, ibi excubiæ adhibendæ vigilantiores, ubi vel maxime periclitatur civitas obsessa. Occasio offertur exequendi conceptas virtutes? ne negligas: oculos animæ non frustra tibi aperuit Dominus *Scienti* namque *bonum facere & non facienti peccatum est illi*, aliàs meditari est otari, & quod pejùs, nugari solummodò, nec verè commota tua voluntas, si in actibus virtutum maneat æquè segnis ac contra vitia æquè debilis & invalida: *Vult & non vult piger, anima autem operantium impinguabitur.* *Proverb. 13: 4.*

*Facob 4: 17.*

Processum itaque Meditationis revide; obtinet in curiis revisio processuum, obtineat & illa in curia cordis tui, ut, si quem defectum deprehenderit, emendes.

*Proverb. 13: 4.*

Processum itaque Meditationis revide; obtinet in curiis revisio processuum, obtineat & illa in curia cordis tui, ut, si quem defectum deprehenderit, emendes.



emendes. Deinde ex eadem quædam puncta decerpe: qui benè & lautè pransus est vacuo stomacho à mensa non recedit, sed satis habet plerumque quod toto digerat die, cujus per totum itidem diem palato gustus inhæreat. Denique operi mancipa quæ Deo grata & ad profectum tuum utilia concepisti faciendaque proposuisti: *Vovete & reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera*, monet Psalter: odit is nuda promissa aut sola verba, amat facta & opera.

## P A R S    V I .

*De Utilitate Meditationis.*

**E**A hominis natura est, ut nihil propemodum agat, nisi quod lucrum vel commodum secum trahat, ideoque Jobo dicti *Sicut mercenarii dies ejus* cumque usum Meditationis, post traditam ejus præxin, nunc suadere intendam, aliunde efficaciora argumenta eruere non potero, quàm ab Utilitate quam ille animæ communicet & in eam invehat.

Generat namque **P R I M Ò** *Notitiam sui*, quam *lectionem utilissimam* scribit Thomas de Kempis. *Hæc est altissima & utilissima lectio, sui ipsius vera cognitio.* Ejusque Magist. Gerard. Zutphaniensis *in itinere salutis* intitulat: Hanc autem subministrat *Meditatio* inquit, S. Bernardus discrimen assignat eam inter & orationem, *docet quid desit, oratio ne desit obtinet.* Est namque speculum animæ, in quo se ipsam videat, sua vitia & defectus, suas passiones & imperfectiones, quibus virtutibus ornata esse debeat & quàm longè etiamnum ab iis absit, quid pro salute

c. 7. v. 1.  
E c. 14.  
v. 6.

1. Imit. 2.

de Reform. vi-  
rium ani-  
ma. c. 4.  
serm. 1. de  
S. Andrea.